



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XVIII. De Completorio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

nisi aliæ propriæ Antiphonæ vel Psalmi ( ut in Dominicis Adventûs , & triduo ante Pascha ) assignentur.

D. Et communiter ex Laudibus desumuntur , addito Alleluja tempore Paschali , nisi jam antè unum habuerit ; tunc enim duplicate illud non oportet.

II. Post Psalmos & Antiphonas dicitur Capitulum , Hymnus , Versus , Antiphona ad *Magnificat* , cum eodem Cantico , & Oratio , omnia de Tempore vel de Sancto pro qualitate Officij.

III. Preces , quando dicendæ sunt , dicuntur ante Orationem ; Commemorationes verò de Cruce , S. MARIA , Apostolis , Patrono , & Pace post Orationem , ut in proprijs Rubricis habetur. Terminatur autem Officium Vesperarum , ut in alijs Horis. e.

E. Id est , per *Pater noster* , si privatim dicantur ; si verò publicè , per Antiphonam B. Virginis , nisi aliud Officium sequatur.

## TITULUS XVIII.

### DE COMPLETORIO.

I. **A**D Completorium absolutè dicitur Lectio brevis , ut in Psalterio. Deinde *Pater noster* , *Confiteor* , *Misereatur* , *Indulgentiam* , *Converte* , *DEVS in adiutorium* , Antiphona , Psalmi , Hymnus , Capitulum cum Antiphona , omnia , ut in fine Psalterij , & post Antiphonam in Duplicibus & infra Octavas dicitur Oratio ; in alijs autem Officijs ante Orationem dicitur *Kyrie eleison* cum reliquis Precibus , ut ibidem in Psalterio. f.

F. Quibus tamen tempore Paschali non additur Alleluja.

II. Post Verbum *Benedicat & custodiat nos* dicitur

tur una ex Antiphonis B. *MARIÆ* cum Versiculo & Oratione, ut ibidem: & dicto Versu *Divinum auxilium*, dicitur secretò *Pater noster*, *Ave MARIA*, *Credo*. g.

G. Quibus alij addunt Psalmum *Laudate Dominum omnes Gentes*: vel Orationem *Sacrosancta & individua Trinitati* ad lucrandas Indulgentias subjungunt.

## TITULUS XIX.

## DE INVITATORIO.

I. **I**nvitatorium *h.* semper dicitur in omni Officio ad Matutinum cum Psalmo *Venite exultemus*, ordine in principio Psalmi præscripto, sed variatur pro Officij qualitate, ut in Psalterio & Proprio de Tempore, ac in Proprio & Communi Sanctorum.

H. Sic dictum, quia per illud Homines ad confitendum Domino invitantur.

II. Non dicitur in die Epiphaniæ *i.* nec in triduo ante Pascha; *k.* ut suis locis notatur: nec in Officio Defunctorum per annum *l.* excepto die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ac in die obitus seu Depositionis Defunctorum. *m.*

I. Quia Magi à nemine invitati venerunt ad Christum adorandum.

K. Quia tunc Apostoli, qui alios invitare debuerant, dispersi fuerant.

L. Quia, ut inquit Gavantus l. 9. c. 2. n. 12. in hoc Officio Exequias Christi in Passione fieri solitas imitamur.

M. Quibus etiam diem Tertium, Septimum, ac Trigesimum addit Gavantus l. c. eò quòd & hi solemniter peragantur; ad solemnitatem autem deceat plures invitari.